INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANICI


IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES AESTIVOS ANNI CIƆIƆCCCLXXXVII

A DIE XVI MENSIS APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR



Inest EDVARDI LVEBBERTI *commentatio de Pindari studiis chronologicis.*

BONNAE

APVD MAX. COHEN ET FILIVM (FR. COHEN).

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

1. Apollinis religio duobus praestantissimis thesauris Graecorum animos imbuit: nihil ut iam insanabile esset; deinde ut pro mutuo odio mutuum amorem populi Graeci excolerent.

Nullum est in omni generis humani historia dulcius spectaculum, quam cum populum aliquem ex inferiore quodam rerum suarum gradu strenuo labore et generoso sudore in altiorem gradum enitentem et adscendentem videamus. Id factum olim in Graecis est, quom prisca illa rerum divinarum specie, qua naturae rerum elementa, hiemem aestatem, ventos nubila, pro numinibus colebant, exuta, Apollineam religionem amplexi sunt, quae veram deorum vim et naturam in aeterna sapientia, iustitia, virtute positam declaravit. Quantorum beneficiorum nova haec lux exorta fons et origo fuit! Eorum nunc duo sola commemorabimus. Primum notio culpae, funestissimae illius rerum humanarum consortis, quantum mutata est! Cum in priore illo mundi ordine neque medicus eius ullus neque medicamen esset, cumque noxius, omnis misericordiae expers, Furiarum praeda fieret: Apollinis dono ritus hilastici et cathartici traditi sunt, quibus effectum est, ut nihil iam, quod humanitus homini accidisset, implacabile et insanabile videretur. Orestes matricida, gravissimi criminis reus, Delphis purgatus huius theologiae lucidissimum exemplum est. His fundamentis iactis deinde alius quidam animorum thesaurus repertus atque Delphis maxume excultus est. Innatum erat Graecorum animis, ceteroquin summis naturae fortunaeque dotibus ornatis, intestinum malum, in visceribus haerens: discordia, mutuum odium. Huic quoque morbo mederi, eum dulcissimis suis incantationibus coercere Apollo conatus est. Primum igitur in Amphictyonia Delphica belli omnino humaniores formae et iura mutua constituta sunt; populus alter alterum ne ex sedibus patriis expelleret; in obsidionibus aquam obsessis ne intercluderent; tropaea aenea ne extruerent. Aeschines de falsa

leg. §. 115: καὶ τοὺς ὅρκους αὐτῶν ἀνέγνων, ἐν οἷς ἔνορκον ἦν τοῖς ἀρχαίοις μηδεμίαν πόλιν τῶν Ἀμφικτυονίδων ἀνάστατον ποιήσειν, μήτ' ὑδάτων ναματιαίων εἴρξειν·... ἐὰν δέ τις ταῦτα παραβῇ, στρατεύσειν ἐπὶ τοῦτον. De tropaeis Cicero de Invent. II, 23, 69: *Cum Thebani Lacedaemonios bello superassent, ... aeneum statuerunt tropaeum. Accusantur apud Amphictyonas, id est, apud commune Graeciae concilium.*

2. Delphis nata est pulcherrima imago unius Helladis multorum filiorum matris. Pyladis personam allegoriam esse mutuae Pylaeorum populorum amicitiae.

Sed longius etiam progressi sunt prudentissimi illi dei Delphici ministri, quibus Hosiis nomen fuit, quique a Deucalione originem repetebant; Plutarchus, Quaest. Graec. 9: πέντε δέ εἰσιν Ὅσιοι διὰ βίου, καὶ τὰ πολλὰ μετὰ τῶν προφητῶν δρῶσιν οὗτοι, καὶ συνιερουργοῦσιν, ἅτε γεγονέναι δοκοῦντες ἀπὸ Δευκαλίωνος. Ei igitur maius quid adnisi sunt: non tantummodo, ut bella populos humaniter gerere, sed ut odium ipsum odisse rudes illos et incorruptos discipulos atque mutuo inter se diligere edocerent. Itaque tunc primum pulcherrimum illud ex adyto Delphico praeceptum prodiit: Germanos fratres esse Graeciae populos, unius almae venerandaeque matris filios. Tunc primum, venustum dictu, sanctum "Helladis" nomen ut patriae communis ad aures laeto horrore stupentium accidit et "Hellenum" nomen divolgatum est, quod non Dorienses, non Iones, non Achaeos, sed omnes una Graecos ut unius familiae consanguineos comprehenderet. Hoc praeceptum, qui erat illorum temporum mos, non scite disserendo inculcatum est, sed dulcibus fabularum involucris instillatum. Pyladis imago nonne ipsius amicitiae quasi vicaria est? Is per totam vitam nihil aliud quam amici personam obtinet. At Pylades nonne tantus quantus Delphicus est? nonne Delphicarum religionum medulla plane nutritus? Pylades heros est eponymus Amphictyoniae Pylaeae, quemadmodum egregie docuit O. Mueller ad Aeschyli Eumenides p. 131. Pater eius Strophius, i. e. Vortumnus, quid quaeso aliud quam Amphictyonum concilia quotannis recurrentia indicat? Itaque hac Pyladis, certissumi in rebus dubiis amici, specie illa fides illustratur, quam omnibus Amphictyoniae populis sociis Delphici Apollinis ministri insculptam et infixam optabant et precabantur.

3. Dogma clarissumum de Hellenis filiis, stirpium Graecarum heroibus eponymis, Delphicos sacerdotes commentos esse ad mentem fraternam in populis excitandam et corroborandam.

Sed hac fabula procusa nondum sibi satisfecisse visi sunt mirifici illi amoris fraterni praecones et patroni. Immo dogma commenti sunt, ad persuadendum hercle, quae erat illorum saeculorum pia simplicitas, ad symbola accipienda nondum nimium erudita, maxume efficax. Etenim dogmata plurima et pulcherrima Delphis viguisse, luculenter constat;

conf. Commentationem nostram in Pind. locum de ludis Pythiis Sicyoniis, Bonnae 1883, p. 4. Commenti igitur sunt Hosii, quo scilicet certius de Graecorum populorum et stirpium vera fraternitate constaret, proavos quondam eponymos earum stirpium non modo mente et amore, immo sanguine ipso fratres germanos fuisse ab eisdem parentibus ortos. Itaque natum est in Delphici templi penetralibus, — atque nulli unquam piae fraudi paratior excusatio fuit, — natum est stemma illud celebratissumum, in quo Hellen, Deucalionis et Pyrrhae filius, pater est trium heroum: Aeoli, Dori, Xuthi, quorum rursus filii plurimarum in Graecia stirpium heroicarum parentes facti sint. Aeolus quod plurimos filios habet, mirum non est. Αἰολεῖς enim homines "mixtos" ex variorum populorum colonis in Asiae littore significat, atque ita iam Menecles Barcaeus (C. Mueller, Histor. Graec. fragm. IV, p. 448—51) nomen explicuit, Etymol. magn. p. 37, 6: Αἰολεῖς . . . ὡς . . . Μενεκλῆς διὰ τὸ ἐκ πολλῶν ἐθνῶν συνηθροῖσθαι, conf. Duncker, Gesch. des Alterth. III², 311 et 546. Hoc igitur nomen ab illius stemmatis auctoribus in eos Graeciae populos translatum est, e quibus coloni illi exierant. Quare Aeolo tot filios esse oportebat, quot Aeolensium in Graecia stirpes numerarentur. Quantam autem antiquissimis illis temporibus fidem et auctoritatem hoc de Hellenis filiis dogma nactum sit, ex Hesiodo apparet, qui in Eoeis hanc genealogiam propemodum ut fundamentum universo carmini substruxit. Locus est praestantissumus apud Tzetzam ad Lyc. 284 (Hesiodi, Eumeli etc. fragm. ed. Marckscheffel p. 278): Ἕλληνος δ' ἐγένοντο θεμιστοπόλοι βασιλῆες || Δῶρός τε Ξοῦθός τε καὶ Αἴολος ἱππιοχάρμης. || Αἰολίδαι δ' ἐγένοντο θεμιστοπόλοι βασιλῆες || Κρηθεὺς ἠδ' Ἀθάμας καὶ Σίσυφος αἰολομήτης || Σαλμωνεύς τ' ἄδικος καὶ ὑπέρθυμος Περιήρης.

4. Hellenis, Deucalionis f., prosapia cum non sufficeret ad universam copiam capiendam in supplementum adsumptus est Inachus, a quo duae stirpes oriuntur: Beli et Agenoris. Apollodori bibliothecae compositio eodem fundamento nititur.

Hoc igitur stemma Hellenis filios complexum optimo et utilissimo consilio ab Amphictyonici foederis tutoribus sacerdotalibus compositum erat. Sed ut fit, brevi post hoc stemma aliquo incommodo laborare intellectum est. Quamvis enim permultae sane Graecorum stirpes eo comprehenderentur, tamen tanta erat fabularum heroicarum per omnem Graeciam copia, ut illas omnes ad unum ortum et ad unum parentum par revocare, nimis hercle arduum et audax inceptum, nullis Procustarum artificiis perficiendum, videri deberet. Itaque praeter Deucalionis stirpem alteram in supplementum adsumpserunt, qua Peloponnesios potissumum et Boeotios heroes comprehenderent, eique ut omnium atavorum vetustissimum Inachum praefixerunt. Ab Inacho recto ordine descendunt: Io, Epaphus Libya, quae Neptuno nubit. Iam ab Libyae filiis Belo et Agenore duae rursus huius Inacheae prosapiae propagines separatae oriuntur. Agenor Cadmum procreat et clarissumi Cadmidarum Labdacidarumque generis proavus fit; a Belo Danaus descendit atque

incluti Argivorum Mycenarumque reges. Hac duplici Deucalionis et Inachi posterorum serie universa heroum Graecorum genealogia nititur.

Apollodori bibliotheca hanc divisionem ea re exprimit, quod primus liber inde ab I, 7, 2, 6 Deucalionis posteritatem prosequitur: γίνονται δὲ ἐκ Πύρρας Δευκαλίωνι παῖδες Ἕλλην μὲν πρῶτος, ὃν ἐκ Διὸς γεγενῆσθαι λέγουσιν, δεύτερος δὲ Ἀμφικτύων ... Ἕλληνος δὲ καὶ νύμφης Ὀρσηΐδος Δῶρος Ξοῦθος Αἴολος. Tum vero inde ab libro II Apollodorus Inachi posterorum seriem enarrat, ac primum quidem eam, quae descendit ab Belo. Apollod. II, 1. ἐπειδὴ δὲ τὸ τοῦ Δευκαλίωνος διεξεληλύθαμεν γένος, ἐχομένως λέγωμεν τὸ Ἰνάχειον. Itemque paullo infra expositis Inachi, Ius, Epaphi rebus de duplici illa Libyae prole, in quam Inachi genus discesserit, II, 1, 4, 2: Λιβύης δὲ καὶ Ποσειδῶνος γίνονται παῖδες δίδυμοι Ἀγήνωρ καὶ Βῆλος. Ἀγήνωρ μὲν οὖν εἰς Φοινίκην ἀπαλλαγεὶς ... ἐκεῖ τῆς μεγάλης ῥίζης ἐγένετο γενεάρχης· ὅθεν ὑπερθησόμεθα περὶ τούτου. Βῆλος δὲ ... ἐν Αἰγύπτῳ βασιλεύει ... καὶ αὐτῷ γίνονται παῖδες δίδυμοι, Αἴγυπτος καὶ Δαναός. Sequitur porro narratio de Danai clarissima posteritate, Perseo (II, 4, 1), Hercule (II, 4, 9), aliis. Libro denique III Apollodorus Agenoris stirpem enarrat, III, 1, 1: ἐπειδὴ δὲ τὸ Ἰνάχειον διερχόμενοι γένος τοὺς ἀπὸ Βήλου μέχρι τῶν Ἡρακλειδῶν δεδηλώκαμεν, ἐχομένως λέγωμεν καὶ τὰ περὶ Ἀγήνορος. In Apollodori igitur bibliotheca pellucent etiamnunc vestigia vetustissimae illius genealogiae in penetralibus sacrarii Delphici ortae. Quamquam in una sane parte genealogia Delphica, si cum Apollodorea comparetur, minus plena et exculta fuit. Cum enim Agenoris stirpem Delphici illi temporum constitutores satis subtiliter concinnaverint, propter familiare, quod ipsis intercedebat, cum Thebarum, vicinae urbis, fatis vinculum: illam Inachidarum lineam a Belo oriundam, in qua sunt Danaidae et Persidae, haud curiosius respexisse videntur; cuius rei luculenta argumenta ex chronologia petita infra adferemus.

5. Genealogica studia sacerdotes Delphicos in eam necessitatem adegisse, ut chronologiae Graecae fundamenta iacerent.

Sed haec studia genealogica, quae communem Graeciae utilitatem spectabant, ut fidem mererent et vim ad persuadendum sibi pararent, uno potissumum adiumento indigebant. Ordine enim certo et consensu per omnes partes aequabiliter sibi constante opus erat, ne in tot anagrapharum invicem sese respicientium comparatione aliquid occurreret, quod aut mancum aut exuberans videretur. Nam hoc maxume cavendum erat, ne eorum heroum, quorum in volgari fama res gestae aliquo vinculo consociatae essent, vitae tempora inaequalibus a communi proavo Deucalione vel Inacho intervallis distarent. Eis incommodis hac una ratione occurri potuit, ut certa chronologicae disciplinae fundamenta illis genealogiis subicerentur. Haec igitur secum reputantes, quemadmodum a tam prudentibus viris expectari potuit, sacerdotes Delphici simplicissima quaedam et rudia sane, sed sanissima et fecundissima artis chronologicae initia constituerunt. Atque haec huius

disciplinae prima principia, qualiacunque sunt, tamen accuratius cognoscere eam ob caussam et voluptatis plurimum et utilitatis habet, quod quamquam prisci illius aedificii trabes et lapides ab eruditioribus harum rerum scrutatoribus postea loco moti, disiecti, sursum deorsum iactati sunt, tamen antiquae structurae reliquiae quaedam praestantissimae et indelebiles superstites manserunt, quas vel audacissimis illis emendatoribus attrectare nefas visum est. Itaque vere hoc dici potest, antiquos illos architectos minume frustra elaborasse.

6. Chronologiam Delphicam duobus principiis niti: primum aetatum, quarum unaquaeque annorum sit $33^1/_3$, computatione, deinde eius anni aera, quo ludi Pythii coronarii facti sunt: Ol. 49, 3 = 582.

Iam igitur in antiquissimis illis chronologiae rudimentis instaurandis, quorum Pindarus potissumum testis est, opera nostra versabitur. Sunt autem duo potissumum principia, quibus vetustissimi illi chronologiae magistri rationes et calculos suos superstruxerunt. Primum hoc curarunt, ut certam aliquam, ad quam infinita illa temporum spatia exigerent, mensuram constituerent. Elegerunt autem in hunc finem spatium maxume naturale et antiquo more, ut videtur, iam praeformatum, unius hominis aetatem (γενεάν) annorum $33^1/_3$. Earum aetatum tres unum saeculum efficiunt, quemadmodum clare testatur Herodotus loco celebratissimo II, 142: τριηκόσιαι μὲν ἀνδρῶν γενεαὶ δυνέαται μύρια ἔτεα· γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατὸν ἔτεά ἐστι. Fuit enim vetus antiquorum hominum opinio, tot ferme annorum esse "illum orbem", quo absoluto *natura humana a sementi ad sementim revertitur* (Censorinus de die nat. 17, 1). Alterum principium, quo tanquam aliquo in aedibus tibicine iuvenilis illa chronologia nitebatur, hoc fuit, ut certus aliquis annus statueretur, inde a quo vel retro ad antiquitatem vel prorsum ad recentiora prodeundo tempora computarentur. Huic rei destinatus est annus in Delphicis sacris clarissimus is, quo primum ludi Delphici ex pecuniariis (χρηματίταις) coronarii (ἀγῶνες στεφανῖται) facti sunt, annus Ol. 49, 3 = 582 a. Chr. n.

Mirum videri possit, cur hunc potissumum annum ad novam aeram constituendam Amphictyones elegerint, ac non proxumum potius superiorem Ol. 48, 3 = 586, a quo Pythiades quaternorum annorum computantur. Nam notum est, in prima post Crisaeum bellum solemnitate Pythia 586 a. Chr., cum antea musica tantummodo haec certamina fuissent, primum gymnicos ludos adiectos esse, atque in eius rei memoriam ab hoc anno Pythiades numerari coeptas esse; Pausan X, 7, 4: τῆς δὲ τεσσαρακοστῆς ὀλυμπιάδος καὶ ὀγδόης . . . ἔτει τρίτῳ ἆθλα ἔθεσαν οἱ Ἀμφικτύονες κιθαρῳδίας μὲν καθὰ καὶ ἐξ ἀρχῆς· . . . ἔθεσαν δὲ καὶ ἆθλα τότε ἀθληταῖς πρῶτον. In his ludis praemiorum loco victoribus res pretio insignes distributae sunt, atque videtur sane praeda ex Crisa urbe capta talium rerum Amphictyonibus largam copiam fecisse; legimus enim in marmore Pario ep. 37: Ἀμφι-

κτύονες ἐνίκησαν ἑλόντες Κύρραν καὶ ὁ ἀγὼν ὁ γυμνικὸς ἐτέθη χρηματίτης ἀπὸ τῶν λαφύρων. Deinde in altera Pythiade celebranda ab hac consuetudine ita discessum est, ut spretis illis praemiis pecuniariis Amphictyonum decreto ludi Delphici iam in altiorem illum certaminum coronariorum ordinem reciperentur; Pausan. l. s. §. 5: δευτέρᾳ δὲ Πυθιάδι οὐκ ἐπ' ἄθλοις ἐκάλεσαν ἔτι ἀγωνίζεσθαι, στεφανίτην δὲ τὸν ἀγῶνα ἀπὸ τούτου κατεστήσαντο.

Iam si quis scrupulum moveat, cur non primam 586 a. Chr., sed alteram Pythiadem 582 a. Chr. sacerdotes Delphici pro termino elegerint, unde in temporibus computandis proficiscerentur, caussa, opinor, haud sane recondita est. Pythiades enim illis vetustissimis post bellum Crisaeum temporibus omnino nondum numeris continuis signabantur. Hic mos postea demum ad Olympiadum exemplum institutus est. Iam igitur cum prisco illo tempore annus certus et epocha, unde regum anagraphae computarentur, definienda essent, non ea erat optio, utrum prima Pythias eligeretur, an annus quo ludi Pythii coronarii facti sunt, sed id diudicandum erat, essetne potior is annus, quo gymnici ludi adiecti sunt, an is, quo totum certamen in altiorem et sanctiorem gradum ludorum evectum est. Hac optione oblata manifestum hercle est, Amphictyonibus illum annum, quo agon Delphicus στεφανίτης factus est, magis gloriosum et honorificum videri debuisse. Hunc igitur annum honore illo aerae inchoandae donandum decreverunt.

7. Attica unius aetatis mensura ab Delphica aliquantum diversa. Delphicae mensurae luculentum est documentum Mermnadarum apud Herodotum anagrapha.

His interim in universum praemissis iam singula accuratius et pedetemptim progrediendo firmanda sunt. Primum vero illud, quod supra posuimus demonstrandum erit mensuram illam, qua temporum spatia sacerdotes Delphici computabant, fuisse aetates hominum, γενεάς, tricenorum ternorum et trientis annorum. Notum est, non hanc unam solam fuisse aetatum definiendarum rationem. Fuerunt, qui aetatem triginta annis circumscriberent, quod tot anni sufficiant ad aliquem sui vicarium procreandum et educandum. Ita censuit Heraclitus apud Plutarch. de Def. orac. 11: ἔτη τριάκοντα ποιοῦσι τὴν γενεὰν καθ' Ἡράκλειτον· ἐν ᾧ χρόνῳ γεννῶντα παρέχει τὸν ἐξ αὑτοῦ γεγεννημένον ὁ γεννήσας. Censorinus de die nat. 17, 2: *qui annos triginta saeculum putarunt, multum videntur errasse. Hoc enim tempus* γενεὰν *vocari Heraclitus auctor est, quia orbis aetatis in eo sit spatio.* conf. Plut. Plac. phil. V, 24. Atque haec computandi ratio magnam auctoritatem nacta est latissimeque eius usus patuit. Eam enim Attici antiquissimis rerum suarum temporibus ordinandis adhibuerunt, quemadmodum acutissime demonstravit Ioannes Brandis, de Temp. Graec. antiq. ration. (Bonnae, 1857) p. 17. Ex hoc calculo illud explicatur, quod sexaginta annos Attici inter Troiam captam et Heraclidarum expeditionem interiectos esse sanxerunt, quo numero duae γενεαὶ significantur; conf. Excerptorem Barbarum in

Eusebio ed. Schoene vol. I p. 216, 40^{b} (18—21), quem ex Philochoro haec sumpsisse Brandisius p. 14 post med. ostendit.

Iam igitur ab hac, qua una aetas tricenorum annorum ponitur, definitione ita Delphici temporum ordinatores discesserunt, ut tres aetates integrum saeculum conficere docerent. Huius rei clarissumum documentum ex Herodoti narratione de Mermnadarum et Croesi fatis promi potest. Tradit Herodotus, cum Candaules Heraclida a Gyge armigero nefario scelere interemptus esset, oraculum Pythium Lydis interrogantibus, essetne fas Gygem regnare, respondisse: regnaturum Gygen, sed aliquando ab illo, qui quintus inter eius posteros futurus sit, ultionem exactum iri. Herod. I, 13: εἶπε ἡ Πυθίη, ὡς Ἡρακλείδῃσι τίσις ἥξει ἐς τὸν πέμπτον ἀπόγονον Γύγεω. Deinde quom, ut assolet, hanc admonitionem in praesens omnes ventis iactandam tradidissent, quattuor principes Mermnadarum regnasse, Gygen annis 38, Ardyn a. 49, Sadyattem a. 12, Alyattem a. 57 (Herod. I, 14; 16; 25). Postremum denique Croesum ad gubernandum accessisse, qui anno regni 14 (Herod. I, 86) a Cyro devictus debitum fatis tributum solverit. Iam vero Croesum huius oraculi immemorem atque in hac quoque re sui simillimum, quom tam crudeliter regno avito se exutum videret, cumque in captivitate liberalius a Cyro haberetur, indignabundum ad deum Delphicum legatos misisse, qui cum deo expostularent: Cur tandem hominem in aedibus deorum exornandis minume hercle parcum atque oraculorum nutui audientem hostibus praedae fieri passus sit: essetne hoc in more deis Graecorum ingratis esse erga bene merentes? Herod. I, 90: εἰ ἀχαρίστοισι νόμος εἶναι τοῖσι Ἑλληνικοῖσι θεοῖσι; atque simul compedes, quibus vinctus fuerat, in templi limine poni iussisse, Her. l. s. ἐνετέλλετο τιθέντας τὰς πέδας ἐπὶ τοῦ νηοῦ τὸν οὐδὸν εἰρωτᾶν.

8. De tribus annis Croesi regno gratiae ergo adiectis. Heraclidarum in Peloponnesum redeuntium tempora Delphicos calculos eximie illustrant.

Adversus haec probra sacerdotes, dei ministros, hunc in modum docte periteque disseruisse. Mermnadarum domui propter scelus a Gyge admissum supremo fati consilio Lydiae regnum haud ultra quintum a Gyge successorem concessum esse. Ab hac lege ut discederetur ne Apollinem quidem precibus suis a Parcis impetrare potuisse, Herod. I, 91: οὐχ οἷός τε ἐγένετο παραγαγεῖν μοῖρας. Unum, tantillum sane, eum pro cliente suo eblanditum esse; ut Croeso tres anni ultra quinque aetatium spatium gratiae ergo adicerentur; atque hoc sane Croeso satis esse debere; Herod. ibid.: ὅσον δ' ἐνέδωκαν αὗται, ἤνυσέ τε καὶ ἐχαρίσατό οἱ· τρία γὰρ ἔτεα ἐπανεβάλετο τὴν Σαρδίων ἅλωσιν, καὶ τοῦτο ἐπιστάσθω Κροῖσος ὡς ὕστερον τοῖσι ἔτεσι τούτοισι ἁλοὺς τῆς πεπρωμένης. Ex hoc responso, quid de calculis chronologicis sacerdotum Delphicorum sequatur, manifestum est. Annorum, quibus Mermnadae regnarunt, universa summa est 170, ab anno 716 ad 546. Ab hac summa tres nunc annos deduci oportet, quibus praeter fatorum decreta Croesus propter pietatem

ab Apolline donatus est. Iam qui relinquuntur anni 167 in quinque portiones, quae quinque regibus respondent, distributi unius cuiusque aetatis spatium ostendunt annorum $33^1/_3$. Atque eam unius γενεᾶς mensuram sacerdotes Delphici ipsarum Parcarum decreto atque sigillo munitam et sancitam praedicabant.

Sed hoc exemplum, ex regibus Lydiae depromptum, peregrinum et singulare videri possit. Itaque alia nunc Delphici oraculi effata circumspicienda erunt, unde in Graecis quoque genealogiis illam computandi rationem Pythiae sollemnem fuisse appareat. Celebratissimum est Herculis posterorum stemma usque ad reditum Heraclidarum. Certamina illa, quibus effectum est, ut Dorienses tandem Heraclidis ducibus Peloponnesum occuparent, antiquis haud dubie carminibus epicis enarrata erant, quorum tenuis memoria irrespit in Herodoti narrationem VI, 52 init. conf. O. Mueller, Doriens. I², 52. Eorum carminum haec communis fama fuisse videtur, certaminibus illis plenum et integrum saeculum absumptum esse. Primus irrumpendi conatus ab Hyllo factus est, qui ab deo Delphico celebratissimum oraculum acceperat, apud Apollod. II, 8, 2, 3 servatum: ὁ δὲ θεὸς ἔφησε, περιμείναντας τὸν τρίτον καρπὸν κατέρχεσθαι. Hyllo in Peloponnesum ingresso obviam profectus est Atreus, cum aliis nonnullis, tum Tegeatis potissumum sociis adsumptis; Diod. IV, 58: Ἀτρεὺς δὲ μετὰ τὴν Εὐρυσθέως τελευτὴν καταλαβόμενος τὴν ἐν Μυκήναις βασιλείαν, καὶ προσλαβόμενος συμμάχους Τεγεάτας καί τινας ἄλλους, ἀπήντησε τοῖς Ἡρακλείδαις. Deinde cum iam ad manus conserendas parati exercitus starent, more eorum temporum convenit inter ambos, ut de belli fortuna ducum monomachia instituta experirentur. Fit foedus in hanc conditionem, ut Hyllus si superior factus esset, Peloponneso potiretur; sin victus esset, ne intra centesimum annum Heraclidae in Peloponnesum redire temptarent; Herod. IX, 26: ἢν δὲ νικηθῇ... ἀπάγειν τὴν στρατιὴν ἑκατόν τε ἐτέων μὴ ζητῆσαι κάτοδον ἐς Πελοπόννησον. His ita constitutis ex Atrei exercitu voluntarius exortus est Echemus, Aëropi filius, Tegeatarum rex, qui Herculis, Hylli patris, nomine nihil deterritus tanta virtute conflixit, ut Hyllum occideret. Narrant haec apud Herodotum ipsi Tegeatae, qui illa Echemi virtute freti locum in acie maxume conspicuum sibi poscunt. Heraclidis igitur de spe sua deiectis occiso Hyllo discedendum ex Peloponneso erat atque indutiae illae accipiendae, quibus ne ante centesimum annum redire temptarent prohibebantur.

9. Heraclidarum stemma, initio egregie cum indutiis centenariis concinens, posteaquam cum Pelopidarum stemmate comparatum est, noxam contraxit et sui dissimile factum.

Iam haec si reputemus, clarissimum est: in hac vetutissima narrandi forma centum annos respondere accurate tribus illis γενεαῖς, quas deus significaverat oraculi verbis: περιμείναντας τὸν τρίτον καρπὸν κατέρχεσθαι. Excipiunt deinde Hyllum legitimo ordine Cleodaeus, Aristomachus, Aristomachi filii: Temenus Cresphontes Aristodemus, qui

tempore praescripto tandem finito, id quod in fatis erat, Peloponnesum armis victricibus occupant. Communis fama est, quo tempore Aristomachi filii in Peloponnesum irruperint, regem Achaeorum fuisse Tisamenum, Orestis filium, Apollod. II, 8, 2, 4 et 3, 5; Paus. II, 18, 7 et VII, 1, 8. Is ex patria ab Heraclidis cum agmine suorum expulsus quum ab Ionibus tunc temporis in Peloponneso septentrionali incolentibus hospitium frustra petiisset, atroci proelio cum Ionibus conflixit et fortiter dimicans cecidit. Eius corpus in Helica urbe sepultum postea ab Lacedaemoniis Spartam arcessitum et loco celebratissimo, in quo Phiditia haberi solebant, monumento conditum est, Paus. VII, 1, 8: ὕστερον χρόνῳ Λακεδαιμόνιοι τοῦ ἐν Δελφοῖς σφίσιν ἀνειπόντος χρηστηρίου κομίζουσι τὰ ὀστᾶ ἐς Σπάρτην, καὶ ἦν καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι αὐτῷ τάφος ἔνθα τὰ δεῖπνα Λακεδαιμονίοις ἐστὶ τὰ Φειδίτια καλούμενα. Haec omnia, quae de Heraclidarum in Peloponnesum expeditione et de Pelopidarum in fortiter resistendo certaminibus traduntur, hunc haud dubie colorem habent, ut in ambabus principum prosapiis singuli singulis ad certum temporum ordinem opponantur: Hyllus Atreo, Cleodaeus Agamemnoni, Aristomachus Orestae, Aristomachi filii tres Tisameno, Orestae filio. Iam Heraclidis quidem constat statim ab initio centum annos ab Hylli morte ad reditum in Peloponnesum adsignatos esse, qui tribus aetatibus annorum $33^1/_3$ respondent. Sed paullo accuratius rem considerantibus confitendum est, huic canoni vere probo et prisco et in Delphico sacrario procuso ex illa cum Pelopidarum stemmate consociatione magnum periculum paratum esse. Attici enim chronologiae scrutatores aliquanto post, cum conciliandis inter se diversis anagraphis operam darent, Pelopidarum tempora ita in brevius contraxérunt, ut inter Troiam captam et Heraclidarum migrationem sexaginta tantum annos ponerent. Troiam vero Agamemnonis, Cleodaeo aequalis, anno XVIII eversam statuebant, cum omnino triginta annos Agamemnoni tribuerent. Castor apud Eusebium ed. Schoene vol. I p. 179, sub b: *Post quos* (Atreum et Thyestam) *Agamemnon annis XXX. Cuius tempore, anno XVIII Ilion captum est.* conf. Epitom. Barbarum ibid. Append p. 215: *Colliguntur ab Inacho rege usque ad desolationem Ilii* (cod. *solis*, em. Scaliger), *quod est octavo decimo Agamemnonis, anni septingenti XVIII.*

10. Antiquae chronologiae simplicitas et perspicuitas a posteriorum saeculorum eruditis corrupta est. — Popularia quaedam antiquae chronologiae vestigia.

Iam igitur postquam a medio Agamemnonis seu Cleodaei regno ad Heraclidarum reditum haud plus sexaginta annos eruditi illi largiti sunt, fieri profecto iam non potuit, ut Heraclidarum, quae olim centum annorum fuerant, hunc numerum, tam perspicue cum indutiae tribus Heraclidarum γενεαῖς concinentem, servarent. Itaque in brevius magis magisque illae indutiae semper contractae sunt, donec eo perventum est, ut quinquaginta tantummodo anni eis expensi ferrentur, quae narratio est Diodori IV, 58: εἰ δὲ Ὕλλος λειφθείη, μὴ κατιέναι τοὺς Ἡρακλείδας εἰς Πελοπόννησον ἐντὸς ἐτῶν πεντήκοντα.

Hac tam exigua annorum summa constituta omne iam vinculum inter aetatum numerum et indutiarum tempus sublatum erat. conf. Brandisium, de Temp. Graec. ant. rat. p. 17 sq.

Hoc Heraclidarum stemmatis exemplum ideo accuratius illustravimus, ut eo specimine clare intellegeretur, quantopere antiquissimae chronologiae, quae in Delphici sacrarii tutela nata erat, simplicitas et perspicuitas scrutatorum, qui postea extiterunt, docta et erudita opera obscurata vel, si fas est dicere, depravata sit, siquidem infelici illo conciliandi et consociandi studio ea, quae a primis initiis dissonabant, tamen in discordem aliquam concordiam componere periclitati sunt. Sed haec posteriorum saeculorum qualiacunque artificia nunc interim mittamus. Illud potius firmiter tenendum est, vetustissima studia genealogica, qualia Delphis colebantur, coniunctissima semper fuisse cum illa chronologia, quae aetates annorum $33^1/_3$ computabat. Et haec quidem unius aetatis definitio sine dubio illi quoque venustissimo lusui subiecta est, quo, quaenam ex animantibus hanc terram incolentibus longissuma vita fruantur, exponitur. Hesiodus in aliquo carmine unam e nymphis Naiadibus finxerat de vitae spatio, quod nympharum generi concessum sit, disserentem. Ea hunc in modum lepidissume huius rei rationem reddit apud Plutarchum, de Def. orac. 11, qui ab nympha ipsa haec verba proferri data opera adnotat. Plut. l. s.: Ἡσίοδος οἴεται καὶ περιόδοις τισὶ χρόνων γίνεσθαι τοῖς δαίμοσι τὰς τελευτάς· λέγει γὰρ ἐν τῷ τῆς Ναΐδος προσώπῳ καὶ τὸν χρόνον αἰνιττόμενος· Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη || ἀνδρῶν ἡβώντων· ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος· || τρεῖς δ᾽ ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεται· αὐτὰρ ὁ φοῖνιξ || ἐννέα τοὺς κόρακας· δέκα δ᾽ ἡμεῖς τοὺς φοίνικας || Νύμφαι ἐϋπλόκαμοι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο. conf. Marckscheffel, Hesiodi fragm. p. 376. Scholam Hesiodeam eandem uni hominum aetati (γενεᾷ) mensuram adsignavisse, quam Delphicos sacerdotes, non est quod demonstremus.

11. Antiquum in Thebana anagrapha artificium, quo septem, quas Tiresias vixit, aetates septem regum regnis responderunt, quo artificio posteriores chronologiae magistri eludere studuerint.

His stabilitis et via ad ulteriora satis munita iam eo nunc accedere licebit, ut quemadmodum sollemnis illa aetatum mensura in anagraphis delineandis ab illis chronologiae adulescentis nutritoribus et cultoribus adhibita sit, demonstremus. Ad eam rem illustrandam nullum exemplum magis idoneum est, quam illud, quod in regum Thebanorum a Cadmo ad Thersandrum, Polynicis filium, serie conspicitur. Thebanorum enim rebus, uti par erat in civitate tam vicina et plurimarum rerum commercio coniuncta, Delphici sacerdotes singularem curam adhibuerunt. Atque operae pretium hercle est hoc artificium accuratius contemplari, in quo illud quoque provisum est, ut in fatorum vicissitudinibus Apollinis numen clara luce splenderet. Res profecto non potuit neque peritius

neque venustius adornari. Atque ut id, quod rei caput est, statim iam nunc praecipiamus: ad miraculum confugerunt; Tiresiam, Eueris et Chariclus filium, vatem, per septem aetates (γενεάς) vitam produxisse finxerunt. Ea ratione aequalem eum septem regibus Thebanis a Cadmo ad Thersandrum, Polynicis filium, fecerunt, quibus ille omnibus consiliorum auctor et divinae voluntatis interpres fuerit, donec postremo capta ab Epigonis urbe una cum Cadmeis ex patria emigrans eadem illa nocte, Thebarum cladi ne unum quidem diem supertes, in itinere extinctus sit.

Sed, ut ferme fit, pulcherrimum hoc inventum, a posterioris temporis auctoribus, qui rationem Delphicam aut ignorabant, aut corrigere posse sibi viderentur, obscuratum et corruptum eum in modum est, ut nunc pedetemptim progrediendo ex cineribus et pulvere id erui oporteat. Huic enim tam perspicuo septem aetatum computo oblatrat fama ab Apollodoro enarrata, qua Tiresiae puerilis aetas non Cadmo aequalis ponitur, sed aliquanto post Cadmum. Tiresiam enim ait Apollodorus unum ex Udaei Sparti posteris fuisse. Apollod. III,6 , 7, 1: ἦν . . . μάντις Τειρεσίας Εὐήρους καὶ Χαρικλοῦς νύμφης, ἀπὸ γένους Οὐδαίου τοῦ Σπαρτοῦ. Spartorum, qui ex dentibus draconis a Cadmo in sementim sparsis exorti dicuntur, quinque tantum ex mutua caede superstites facti sunt; Schol. Eurip. Phoen. v. 942: οἱ περιλειφθέντες τῶν Σπαρτῶν, ὡς Αἰσχύλος φησὶν, ἦσαν Χθόνιος, Οὐδαῖος, Πέλωρος, Ὑπερήνωρ, Ἐχίων. conf. Apollodor. III, 4, 1, 5. Ab his Spartis, quos urbi condendae cives adscripserat Cadmus (Schol. Eur. Ph. 941), nobiles Cadmeorum gentes apud Thebanos se descendere gloriabantur, Schol. Eur. Phoen. 795: Σπαρτῶν γένναν] τοὺς Θηβαίους λέγει· οἱ γὰρ περιλειφθέντες ἐκ τῶν σπαρτῶν ὀδόντων τοῦ δράκοντος τῶν ἑξῆς πάντων εἰσὶ πρόγονοι. Nota res est de Epaminonda unius e Spartis abnepote, Pausan. VIII, 11, 8. conf. plura in nostris Prolegg. ad Pindari carmen Pyth. IX. Bonnae, 1883, p. 16. Iam igitur qui Tiresiam quoque ex Udaei Sparti genere oriundum praedicabant, eos commentum illud de septem, quibus vixisset Tiresias, aetatibus nullo modo probare potuisse manifestum est. Haec igitur talis de Tiresia Udaei nepote vel pronepote fama, quae, quod concedam, olim fortasse popularis et domestica Thebis fuit, ab nimium sedulis posterioris temporis chronologiae scrutatoribus, velut ab Apollodoro, in doctarum disputationum lucem et palaestram protracta est eam solam opinor ob caussam, ut veterem illam chronologiam Delphicam refellerent.

12. Anagraphae Delphicae regum Thebanorum eam speciem fuisse, ut Tiresias iam Cadmo vaticinatus sit.

Verum nil desperandum; nam ille rerum Thebanarum canon, quem Delphici sacerdotes posteritati propinarunt, et sua praestantia splendet et testibus nobis luculentissimis traditus est: nititur Hesiodi et Callimachi auctoritate, qua de re iam praeclare dixit O. Mueller, Orchom.[2] p. 219. Itaque primo loco demonstrandum nunc est, in

annalibus rerum Thebanarum Delphicis Tiresiam iam Cadmi Thebarum conditoris temporibus vaticinatum esse. Haec quaestio arctissime cum Tiresiae caecitate cohaeret. Tiresias qua vitae aetate et quam ob caussam oculorum lumen amiserit, pulcherrime narrat Callimachus in Palladis lavacro. Cum prima lanugo genas eius offuscaret, infelicissimo casu eum feras in Helicone venantem delatum esse in ea loca, ubi Minerva ad meridiani temporis aestum leniendum divinae pulchritudinis membra Aganippae undis recreanda tradiderat, una sola Chariclo comite. Callim. Lav. Pall. 73: ἀμφότεραι λώοντο, μεσαμβριναὶ δ' ἔσαν ὧραι, || πολλὰ δ' ἁσυχία τῆνο κατεῖχεν ὄρος. || Τειρεσίας δ' ἔτι μῶνος ἁμᾶ κυσὶν ἄρτι γένεια || περκάζων ἱερὸν χῶρον ἀνεστρέφετο· || . . . σχέτλιος· οὐκ ἐθέλων δ' εἶδε τὰ μὴ θέμιτα. Cum igitur mortalibus oculis conspexisset, quae homini non fas est videre, irrevocabili fatorum lege, quamquam invita Minerva, eam enim adulescentuli innocentissimi vehementer miserebat, oculorum lumine privatus est.

Hanc tantam miseriam, tam subito oblatam Minerva, ut Chariclo amicam de filii casu paullulum consolaretur, praestantissimis donis tribus compensavit. Primum divinationis thesaurum ei largita est; deinde baculum vi mirifica praeditum, quod quocunque ille vellet dominum adduceret (v. 127: μέγα βάκτρον, ὅ οἱ πόδας ἐς δέον ἀξεῖ); denique vitae tempus in septem aetates porrectum. In ea Callimachi narratione nunc maxume hoc ad rem nostram facit, quod Tiresias iam Cadmo, Thebarum conditori, vaticinatus esse dicitur. Hoc clare testatur Callimachus, qui Minervam de Tiresia vate futuro haec praedicentem fingat v. 125: πολλὰ δὲ Βοιωτοῖσι θεοπρόπα, πολλὰ δὲ Κάδμῳ || χρησεῖ, καὶ μεγάλοις ὕστερα Λαβδακίδαις. Idem hoc inde quoque apparet, quod de Actaeonis fato ut postmodo futuro praesagium facit Minerva, cum Actaeon Cadmi nepos ex Autonoa sit. Quot et quanta, inquit Minerva, dona parentes eius deis largientur, ut filium unicum caecum, ac non discerptum a canibus videant; v. 107: πόσσα μὲν ἁ Καδμηὶς ἐς ὕστερον ἔμπυρα καυσεῖ, || πόσσα δ' Ἀρισταῖος, τὸν μόνον εὐχόμενοι || παῖδα, τὸν ἡβατὰν Ἀκταίονα, τυφλὸν ἰδέσθαι. His consideratis pro certo pronuntiari poterit, Callimachum, aliter atque Apollodorum, ineuntem Tiresiae aetatem ad Cadmi tempora rettulisse.

13. Tiresiam urbi Thebis in Epigonorum bello expugnatae non unum diem superstitem fuisse. — In canone septem aetatum tam in vita Tiresiae, quam in regum anagrapha luculenter agnosci Apollinis Ἑβδομαγένους vestigia.

Tiresias igitur divinationis thesauro instructus per septem hominum aetates septem regibus Thebanis praesto fuit. De hoc numero septenario praestantissimus testis est Hesiodus, qui in luculento Melampodiae fragmento apud Tzetzam ad Lycophr. 682 Tiresiam inducit de beneficio scilicet illo et caecitatis solatio septem aetatum, quae exantlandae sibi sint, miserabiliter conquerentem; Marcksch. Hesiodi fragm. p. 360 (coll. p. 170): Ζεῦ πάτερ, εἴθ' ἥσσω μὲν ἐμοὶ αἰῶνα βίοιο || ὤφελλες δοῦναι καὶ ἴσα φρεσὶ μήδεα

ἴδμεν || θνητοῖς ἀνθρώποις· νῦν δ' οὐδέ με τυτθὸν ἔτισας, || ὅς γέ με μακρὸν ἔθηκας ἔχειν αἰῶνα βίοιο || ἑπτά μ' ἐπὶ ζώειν γενεὰς μερόπων ἀνθρώπων. Tzetzes l. s. quod de novem aetatibus, quas nonnulli Tiresiae tribuant, fabulatur, non magnam fidem meretur; plurimi auctores septenario numero patrocinantur; Hygin. fab. 75: '*At Iovis ob id fecit, ut septem aetates viveret vatesque praeter ceteros mortales esset.* Phlegon περὶ θαυμασ. 4: τὸν δὲ Δία δωρήσασθαι αὐτῷ τὴν μαντικὴν καὶ βιοῦν ἐπὶ γενεὰς ἑπτά. Atqui Tiresiae vaticinia, quorum Cadmo florente memoria tam tenuibus vestigiis nititur, progrediente tempore magis magisque inclaruerunt et per Cadmi successorum regna nunquam feriata sunt. Excipiunt autem Cadmum hi sex reges: Polydorus (Hesiod. Theog. 978: Κάδμῳ δ' Ἁρμονίη, θυγάτηρ χρυσέης Ἀφροδίτης || . . . γείνατο καὶ Πολύδωρον ἐϋστεφάνῳ ἐνὶ Θήβῃ; et Herod. V, 59; Schol. Pind. Ol. II, 16 p. 62 med. ed. Boeckh), Labdacus, Laius, Oedipus, Polynices (Eteocles), Thersander (Laodamas, Apollod. III, 7, 3, 1; Paus. IX, 9, 5).

Thebarum in Epigonorum bello urbis expugnatio Tiresiae quoque exoptatum iam pridem finem vitae attulit. Epigoni duce Thersandro cum atroci proelio apud Glisantem (Paus. IX, 9, 4) Cadmeos in fugam coniecissent, quo proelio Laodamas, Eteoclis filius, fortiter dimicando occubuerat, victi aliquamdiu moenibus urbis se tutati sunt. Tum Tiresias, quod postremum eius vaticinium fuit, obsessis suasit, ut praeconem de urbe dedenda mitterent atque ipsi sub noctis tutela effugerent. Apollod. III, 7, 3, 1: κτείνει Λαοδάμαντα . . Ἀλκμαίων . καὶ μετὰ τὸν τούτου θάνατον Θηβαῖοι συμφεύγουσιν εἰς τὰ τείχη. Τειρεσίου δὲ εἰπόντος αὐτοῖς . . . κήρυκα περὶ διαλύσεως ἀποστέλλειν, αὐτοὺς δὲ φεύγειν, . . . κήρυκα πέμπουσιν, αὐτοὶ δὲ ἀναβιβάσαντες ἐπὶ τὰς ἀπήνας τέκνα καὶ γυναῖκας ἐκ τῆς πόλεως ἔφευγον. Noctu (νύκτωρ, Apollod.) egressos Tiresias comitatur; quamquam postea fuerunt, qui Epigonos Tiresiam ut praestantissumam praedae partem Delphos misisse narrarent: Paus. IX, 33, 1. Hoc iter, qualecunque fuit, Tiresiam senectutis septem aetatum onere levavit. Cum ad Tilphussam fontem, Apollini sacrum (Hymn. Apoll. Pyth. 208), ventum esset, Tiresias potu inde hausto vitam longaevam placida morte finivit; Apollod. l. s.; ἀπὸ ταύτης πιὼν αὐτοῦ τὸν βίον κατέστρεψεν. Hanc de Tiresiae vitae cursu historiam oraculi Delphici auspiciis conditam et expolitam esse, non est quod operosius demonstremus. Apollini sacer est numerus septenarius, inprimis septimus quot mensibus dies; Hesiodus ἔργα 771: τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ; inde nomen Ἑβδομαγένης (de quo accentu conf. Lobeckium, Aglaoph. p. 434) deo proprium; Plut. Quaest. sympos. VIII, 1, 2: ἑβδόμῃ . . . ἑορτάζουσι· καὶ τὸν θεὸν ὡς ταύτῃ γενόμενον ὑμεῖς . . οἱ προφῆται καὶ ἱερεῖς Ἑβδομαγένη καλεῖτε. Deinde Ἑβδομαγέτην Aeschylus vocat Sept. 800: τὰς δ' ἑβδόμας ὁ σεμνὸς ἑβδομαγέτης || Ἀπόλλων εἵλετ'. Aetates septem, quibus vixit Tiresias, non dubium est, quin sint annorum unaquaeque $33^1/_3$. Universa igitur summa tam vitae Tiresiae, quam regum Thebanorum, quibus rerum divinarum ille constantissumus internuncius fuit, annos conficit $233^1/_3$.

14. Priscam chronologiam amplioribus spatiis adhibitam optime in Pindaro conspici, qui in antiqua simplicitate servanda vel Aeschylo religiosior fuerit.

Sed iam maiora canamus; in altum mare velis plenioribus navis educenda est: contemplabimur hanc Delphicam temporum ordinandorum artem, quam usque adhuc minusculis spatiis adhibitam scrutati sumus, iam in longis amplisque laterculis, saeculorum seriem complexis, regnantem atque indigestam molem luce et ordine donantem. Dux vero praestantissumus in hac quaestione nobis Pindarus erit, cum omnino pulcherrimis theologumenis Delphicis tanquam altero quodam lacte materno nutritus, tum in his chronologiae studiis Delphicorum sacerdotum discipulus attentissimus. Atque meretur sane hoc nomine singularem quandam laudem Pindarus, quod Delphicos canones puros et incorruptos expressit. Quantum enim vates Thebanus, si fas est dicere, in hac re diversus est ab altero illo ex eius saeculi Musarum Dioscuris, ab Aeschylo! Is mirum dictu est, quantum iam ab Delphica illa prisca calculorum simplicitate, castitate, perspicuitate recesserit. Quid enim diversius cogitari potest, quam Aeschyli velut in Prometheo v. 774 calculi, quibus obsecutus Herculem ab Io descendentem decimum tertium facit, et Pindari canones velut Pyth. IV, 10 et 47, quibus Euphemi, Herculis aequalis, et ipsius Herculis aetatem computat? Haec qui inter se contendat, non poterit non caput quassare, cum poetam Atticum tantopere iam noviciarum artium cultorem viderit, poetam Thebanum in antiqua simplicitate sibi constantem et propositi tenacem. Iam igitur quoniam vere dici potest, eum qui Pindari chronologiam cognoverit, eadem opera etiam Delphicam cognovisse, Pindaricam nunc rationem speciminibus nonnullis illustrabimus, memores antiqui dicti: breve esse iter per exempla, longum per praecepta. Inter omnia vero heroum stemmata, quorum sat magnum numerum Pindarus tractavit, ad edocendum haud dubie fructuosissuma est Theronis, Agrigentinorum regis, proavorum anagrapha. Quamquam enim non eum in modum benigne nobiscum egit fortuna, ut plenam illam et integram a Pindaro delineatam habeamus, tamen in luctuosissima harum litterarum iactura tot indiciis, quae invicem sibi lucem adfundunt, nobis innotuit, ut magna saltem ex parte thesaurus ex tenebris resuscitari possit.

15. Luculentum Delphicorum calculorum specimen Theronis maiorum anagrapha fuit ita concepta, ut proavorum series a Cadmo exorsa per Theram insulam et Rhodum in Siciliam deducta integra proponeretur.

Theron igitur, Aenesidami filius, Agrigentinorum ab anno 488 ad 473 (Diodor. XI, 53: ἄρξας ἔτη δέκα καὶ ἕξ) tyrannus, plurimum deliciarum et voluptatis ex hac opinione capiebat: familiam suam Thebis oriundam a Cadmo et Oedipo descendere. Deinde

singulari amore et studio plenum et integrum laterculum concinnaverat atque in ea imagine exaedificanda homo negotiosus et multis curis distractus recreationem sibi et quietem quaerebat. Ex Oedipi igitur duobus calamitosissumae memoriae filiis Polynicem suae stirpis pravom arbitrabatur; post Polynicem hosce deinceps in stemmate posteros collocaverat: Thersandrum, Tisamenum, Autesionem, Theram, qui, cum eius sororem Argiam Aristodemus Heraclida, Aristomachi filius, in matrimonium duxisset, propter hoc affinitatis vinculum post immaturum Aristodemi obitum filiorum geminorum, Proclis et Eurysthenis, tutor factus est. Eorum heroum omnium celebrata et pervolgata est memoria: Herod. IV, 147 et VI, 52; Schol. Pind. Ol. II, 82 p. 72; Paus. III, 15, 6; IX, 5, 15. Therae vero unum factum maxume memorabile videbatur. Dum Lacedaemone commoratur, Dioscurorum Amyclaeorum sacra ut domestica sibi adsumpsit et in familia sua propaganda curavit. Hunc enim in modum haud dubie Theron Agrigentinus, Therae abnepos, Castorum cultum in genere suo hereditarium explicabat; Pind. Ol. III, 1 et 35. conf. O. Mueller, Orch.[2] p. 333 et 324. Theras deinde finita pupillorum suorum tutela, quom quibus antea ipse pueritiae custos et rector fuisset, eis se submittere nollet, cum suorum agmine in insulam Theram emigravit ibique domus regiae per longa saecula florentis (Herod. IV, 150) auctor factus est; Herod. IV, 148.

Sed erat in fatis, ut Therae regis domus non insulae tantum finibus sat exiguis circumscriptae, sed aliis quoque terris principes daret. Therae igitur stirps in duas lineas discessit. Etenim Therae filius et in regno successor Samus duobus filiis auctus est, Clytio et Telemacho, quorum alter, Clytius, in insula patria mansit, Telemachus, qui fratris nutui obsequi propter innatam ei genti generositatem dedignaretur, Rhodum emigravit; Schol. Pind. Ol. II, 82 p. 72: Αὐτεσίων, οὗ Θήρας, οὗ Σάμος· οὗτος ἔσχεν υἱοὺς δύο, Τηλέμαχον καὶ Κλύτιον, ὧν ὁ μὲν Κλύτιος ἔμεινεν ἐν Θήρᾳ τῇ νήσῳ, ὁ δὲ Τηλέμαχος [supple: εἰς Ῥόδον μετέστη, conf. Pindari fragm. apud Schol. Pind. p. 61 med.: ἐν δὲ Ῥόδον κατένασθεν, ut scribi iubet Bergkius, Poet. Lyr. Gr. I[4] p. 417]. Ab his igitur tam claris heroibus sese descendere, atque eorum nomina sicut Therae insulae in suo, Theronis, nomine riviviscere, magno ille gaudio memorabat, eratque hoc regi propter ipsam clementiam et ingenii bonitatem a multis decepto et conculcato (Pind. Ol. II, 17) dulcissimum curarum levamen et deverticulum, quo ad genium oblectandum et consolandum lubenter utebatur. Pindarus vero quanto, hercle, gaudio hanc materiam genealogicam ipsi carissimam et maxume tritam familiaremque amplexus est! Audire mihi videor virum praestantissumum cum rege amico confabulantem et dulcissimis paene verbis illis Ennianis, quibus Cicero Titum suum Atticum alloquitur, salutantem: *O Tite, si quid te adiuero curamve levasso, || quae nunc te coquit et versat in pectore fixa, || ecquid erit praemi?* Eorum studiorum poetae cum rege communium egregius fructus fuit Pindari carmen, Encomium in Theronem, quo universum illud regis stemma Graecis hominibus pernoscendum proposuerat, de quo infra accuratius videbimus.

16. Theroni cum gentis suae ortum a Cadmo repeteret, id potissumum propositum fuisse, ut Anacalypteria Agrigentina Thebanorum Anacalypteriorum propaginem esse a proavis suis adlatam Agrigentinis probaret.

Nunc unum est, quod antea expediri oportet. Theroni enim ad haec studia genealogica excolenda non sola voluptas caussa fuit. Immo aliud quid accedebat, unde regno et dominationi suae praeclarum reapse subsidium et adiumentum accessurum sperabat. Hoc tale fuit. Theronis gens si re vera Thebis oriunda crederetur, fieri profecto non potuit, quin sanctissima et festissima apud Agrigentinos Cereris et Proserpinae sollemnia, Anacalypteria, una cum Theronis gente ex urbe Thebarum, in qua eisdem sacris illa numina colebantur, per varias fatorum ambages Agrigentum delata viderentur. Atque hoc plane consentaneum est maxume Theroni cordi esse debuisse. Quid enim efficacius ad regnum eius stabiliendum esse potuit, quam haec apud Agrigentinos opinio propagata: Theronis eos proavis praestantissumum hoc favoris et pacis divinae pignus debere, summa illa sacra, in quibus Agrigentum urbs dotis loco Proserpinae a Iove ipso donata celebraretur! Ac de Agrigentinorum quidem Anacalypteriis nota res est. Luculenta de eis in promptu sunt testimonia. Schol. Pind. p. 61: ἱερὸν οἴκημα] ὅτι εἰς ᾿Ανακαλυπτήρια ὑπὸ τοῦ Διὸς ἐδόθη τῇ Περσεφόνῃ et ib. paullo infra: διὰ τὸ τὴν ᾿Ακράγαντα τῇ Περσεφόνῃ εἰς τὰ ᾿Ανακαλυπτήρια ὑπὸ τοῦ Διὸς δοθῆναι. Idem postea de universa Sicilia creditum est: Schol. Pind. Pyth. XII, 1 p. 421 med.; Ol. VI, 160 p. 153; Nem. I, 16 p. 429. De Thesmophoriis Agrigentinis conf. Polyaen. Strat. V, 1 et Preller, Demeter und Perseph. p. 177.

Thebanorum Anacalypteriorum memoria tam nota et celebrata non est, sed uno tamen testimonio locupletissumo nititur. Euphorionis servatum est ex ignoto carmine fragmentum apud Schol. Eurip. Phoen. 682 (Meineke, Analecta Alexandr. p. 87 sq): ἀλλ᾿ οὔπω Θήβῃ πεπρωμένα κεῖτο τάλαντα, || τήν ῥά ποτε Κρονίδης δῶρον πόρε Περσεφονείῃ, || ὃν γαμέτην ὅτε πρῶτον ὀπωπήσασθαι ἔμελλεν || νυμφιδίου σπείροιο παρακλίνασα καλύπτρην. conf. O. Mueller, Orch.[2] p. 212 et 331. Haec Anacalypteriorum sacra apud Thebanos antiquissuma fuisse inde apparet, quod Cereris et Proserpinae cultus cum fabulis de Thebarum originibus arctissime cohaeret. Ipse Cadmus, quem vetustissumum gentis suae proavom Theron ferebat, in eadem cum Cerere aede, ut deae sacerdos, habitarat itemque eius posteri; Paus. IX, 16, 5: τὸ δὲ τῆς Δήμητρος ἱερὸν τῆς Θεσμοφόρου Κάδμου καὶ τῶν ἀπογόνων οἰκίαν ποτὲ εἶναι λέγουσι. Euripides duarum dearum Thebas urbem plane propriam et peculiarem dicit, Eur. Phoen. 683: ἃν (πόλιν) διώνυμοι θεαί, || Περσέφασσα καὶ φίλα || Δαμάτηρ θεά || . . . ἐκτήσαντο.

17. Plurimum referre, ut quot aetates inter Cadmum et Theronem constitutae fuerint, eruatur. In scholio ad Pind. Ol. II, 14 p. 60 grammaticum, qui *viginti septem aetates* computet, quamvis falsos terminos apposuerit, tamen verum illum et genuinum numerum servasse.

Haec igitur omnia Theron gloriabundus enarrare solebat, eisque rebus memorandis mirifice delectabatur. Verum quod plus etiam est, eximium quoque harum domus suae laudum et decorum praeconem nactus est, Pindarum, cum Emmenidarum familia, id quod maxume ex carmine Pythio VI anni Ol. 91, 3 = 494 in Xenocratem Theronis fratrem apparet, iam a flore aetatis coniunctissumum. Is igitur ut Theronis nobilitas et proavorum multiplicia fata omnibus ab oriente ad occidentem solem Graecis nota redderet, carmen ex Encomiorum genere composuit, quo Theronis stemma eloquentia illa tubae consimili celebravit. Atque hoc huius carminis consilium in ipsius exordii primis verbis elocutus erat; Schol. Pind. Ol. II, 16 p. 62 med.: καὶ μέχρι Θήρωνος τὰς ἁπάσας γενεὰς ἑπτὰ πρὸς ταῖς ὀκτὼ συναριθμεῖσθαι. ταῦτα ἱστορεῖ ἐν Ἐγκωμίῳ, οὗ ἡ ἀρχή· Βούλομαι παίδεσσιν Ἑλλάνων. conf. eadem Schol. Pind. Ol. II, 39 p. 66. Alterum eiusdem carminis fragmentum fatorum, quibus illi heroes iactati essent, vicissitudines illustrabat; Schol. Pind. Ol. II, 16 p. 61 post med. (Bergk, Poet. Lyr. Gr. I[4], p. 417): ἐν δὲ Ῥόδον κατένασθεν· || ἐνθένδ' ἀφορμαθέντες ὑψηλὰν πόλιν ἀμφινέμονται, || πλεῖστα μὲν δῶρ' ἀθανάτοις ἀνέχοντες, || ἕσπετο δ' ἀενάου πλούτου νέφος.

Praeter haec duo fragmenta una res est, de qua in eo carmine Pindarus haud dubie luculenter exposuerat, quaeque nunc ad hanc nostram quaestionem maximi sane momenti est. Pindarus, quod propter ipsum carminis argumentum plane necessarium erat, numerum et summam omnium aetatum (γενεῶν) conceperat, quae a Cadmo ad Theronem praeteriissent, atque, quatenus quidem per carminis leges fieri potuit, nomina quoque heroum, qui singulis aetatibus respondissent, memoriae tradiderat. Is numerus in fontibus nostris cum gravi sane errore vel corruptela traditus, tamen certo, quod iam Boeckhius praeivit, remedio in integrum restitui potest. Tradit Schol. Pind. Ol. II, 14 p. 60 post med., ex eo tempore, quo Entimus et Antiphemus ex Rhodo insula profecti Gelam in Sicilia condiderint, cui expeditioni, ut scholiasta opinatur, Theronis proavi interfuerint, aetates ad Theronem 27 praeterlapsas esse: ἄρχοντες δὲ τῶν ἀποικίαν στειλαμένων Ἀντίφημος καὶ Ἔντιμος ἦσαν, ὧν μετὰ εἰκοστὴν ἑβδόμην γενεὰν Θήρων οὗτος γέγονεν. Haec aetatum summa si cum temporum illo spatio, quod dicit scholiasta, comparetur, primo adspectu non potest non plane perserva videri. Gela enim urbs condita est ab colonis Rhodiis anno Ol. 22, 4 = 689 ex luculentissimo Thucydidis testimonio VI, 6: ἔτει πέμπτῳ καὶ τετταρακοστῷ μετὰ Συρακουσῶν οἴκησιν. conf. Holm, Hist. Sic. I, 385. Iam ab eo anno ad Theronem cum scholiastes 27 γενεὰς computat, is aut error est in numero, aut in re. Atqui numerus, qui sane in eiusmodi quaestionibus plerumque in culpa est, in hoc quidem

exemplo mutandus non videtur ea de caussa, quod non tam per se ipse suspectus, quam ad illud temporis spatium falso relatus videtur. Rectissume enim Boeckhius ad Schol. Pind. p. 60 extr. hanc viginti septem aetatum summam id spatium exprimere coniecit, non quod inter Entimum et Theronem, sed quod inter antiquissumum proavom Cadmum et Theronem interiectum esset. Haec duo spatia bonus ille grammaticus parum in Graecorum historia versatus inter se confuderat. Sequitur inde, ut apud Pindarum quoque in Theronis Encomio aetatum, quibus a Cadmo Theron distare diceretur, numerus viginti septem fuerit.

18. Ex XXVII Theroniani stemmatis aetatibus duodecim primae usque ad Telemachum I in clarissima luce decurrunt. Alterae duodecim, quibus Rhodi gens commoratur, alto silentio premuntur. Consurrexit gentis Genius in Telemacho II.

Hunc aetatum viginti septem thesaurum, quem ex spissis tam remotae antiquitatis tenebris eruere conati sumus, multo etiam laetius hercle acciperemus, si singulis aetatibus, id quod Theroni et Pindaro haud dubie factu facillumum fuit, singulos, qui eis convenirent, heroes nunc adscribere liceret. Sed hoc gaudium, his nostris rebus humanis nimium fortasse laetum, Fortuna nobis invidit. Ex vigenti enim septem nominibus quindecim tantum sunt, quae aetatem tulerunt, quaeque certis et indubitatis antiquitatis testimoniis firmari possunt; duodecim nomina irreparabili casu ex medio illo splendidissimorum heroum et principum choro intercepta sunt. Sed quoniam irrevocabilia flere parum decorum videtur, quod solum relictum est, diligenter agamus, ut primum integras anagraphae partes quam luculentissume fieri poterit, illustremus, deinde lacunae naturam ita perscrutemur, ut tam de origine, quam de terminis, quibus circumscribitur, quae verisimillima sint, eruamus. Iam vero in hac questione optimum nunc auspicium est, quod statim de duodecim primis eius stemmatis membris plane constat; eorum nomina in omnium ore sunt, ab optimis testibus tradita. Series vero haec est: 1 Cadmus, 2 Polydorus, 3 Labdacus, 4 Laius, 5 Oedipus, 6 Polynices, 7 Thersander, 8 Tisamenus, 9 Autesion, 10 Theras, 11 Samus, 12 Telemachus. Hae igitur duodecim aetates secundum Delphicorum sacerdotum calculos quattuor saeculorum spatium aequant. Sed, ut ferme fit, prospexit rursus Fortuna, ne nimium laetaremur. Nam post haec splendidissimae memoriae initia iam tempora sequntur spissa caligine involuta, tanquam illa Theronis familia in tranquilla securaque obscuritate delitescens ad novos postea conatus vires colligere voluerit. Telemachus enim, Sami filius, peregrinandi et rerum longinquarum studio impulsus Thera relicta cum agmine suorum in Rhodum insulam commigrat; Schol. Pind. Ol. II, 82 p. 72; coll. p. 62 med.; atque ibi per quattuor rursus saecula sive, quod eodem redit, duodecim aetates Theronis illi proavi, quorum ille imaginibus delectabatur, civium optimorum quidem, sed otium cum dignitate magis, quam gloriam colentium conditione usi videntur; ac ne probabile quidem

est, vel Theronem ipsum vel Pindarum praeter virorum nomina de rebus eorum gestis multa et memorabilia proferre potuisse.

Sed his quattuor saeculis finitis novos hoc genus altioresque rursus spiritus adsumpsit et deis hominum inceptis adnuentibus nova luce Theronis proavorum domus fulsit. Anno 581 a. Chr. a Gelensibus Agrigentum conditum est (Thuc. VI, 4; Holm, Hist. Sic. I, 385). Cum igitur illo tempore Gelenses ad colonorum numerum explendum ex vetere quoque patria Rhodo viros fortes ad eius incepti societatem evocarent, ex illa Theronis proavorum stirpe strenuus quidam et generosus iuvenis exortus est, Telemachus nomine, cui non nomen tantum, sed ingenium quoque longinquarum rerum cupidum et ad magna audenda promptum cum vetere illo proavo commune esset, qui naves conscendit et Rhodo, relicta cum suorum agmine Agrigenti condendae particeps factus est, Schol. Pind. Ol. II, 82 p. 72. Atque huius quidem narrationis, qua Theronis proavi recto cursu Rhodo Agrigentum delati dicebantur, et Theron ipse et Pindarus auctores erant, cum secundum nonnullorum scriptorum famam aliquanto prius illi Rhodo profecti Gelam, deinde aliquot aetatibus post una cum Gelensibus novae coloniae auctoribus Agrigentum commigrasse perhiberentur. In hac controversia tutissumum haud dubie erit Pindarum ducem sequi, quamquam scholiasta mirum quantum in calculo ad Pindari sententiam adiciendo cunctatur; Schol. Pind. Ol. II, 16 p. 61: ἔνιοι δέ φασιν, ὅτι οἱ τοῦ Θήρωνος πρόγονοι οὐδόλως ἐς τὴν Γέλαν κατῆραν, ἀλλ' εὐθὺς ἀπὸ Ῥόδου εἰς τὴν Ἀκράγαντα· ὡς καὶ ὁ Πίνδαρος λέγει· Ἐν δὲ Ρόδον κατένασθεν· || ἐνδένδ' ἀφορμαθέντες ὑψηλὰν πόλιν ἀμφινέμονται, || πλεῖστα μὲν δῶρ' ἀθανάτοις ἀνέχοντες, || ἕσπετο δ' ἀενάου πλούτου νέφος. Idem Timaeus Tauromenius censuit, ibid.: καὶ τοῦτο ἐξ αὐτοῦ τοῦ Πινδάρου σαφηνίζεται, ὡς καὶ Τίμαιός φησιν.

19. De tribus gradibus Theroni proxumis: Telemacho, Emmenida, Aenesidamo. Quo argumento constet, inter Telemachum et Emmenidam non recte apud Schol. Pind. Ol. II, 82 p. 72 Chalciopeum inseri.

Ab hoc igitur Telemacho nova illius gentis in nova patria Agrigento quasi aera et altior rerum eius et studiorum cursus incipit. Ex ea domo nunc qui prodeunt, viri sunt principes, rei publicae clavom tenentes, "quique sui memores alios fecere merendo". Primum iam ipse Telemachus ille alter immortalem gloriam ea re nactus est, quod Agrigentinorum tyrannum Phalaridem, detestandum illud generis humani dedecus, seditione facta anno fere 554 (Euseb. ad Ol. 52, 3; Holm, Hist. Sic. I, 398) sustulit. Ab eo successionis ordine quartus deinde est Thero. De hac utraque re coniunctim testantur scholia. Schol. Pind. Ol. III, 68 p. 103 extr.: Τηλεμάχου καταλύσαντος τὸν τῶν Ἀκραγαντίνων τύραννον Φάλαριν παῖς γίνεται Ἐμμενίδης, οὗ Αἰνησίδαμος, οὗ Θήρων καὶ Ξενοκράτης. Deinde ibid. p. 104 init.: Τηλέμαχος γάρ τις καταλύσας τὴν Φαλάριδος τυραννίδα ἐν Ἀκράγαντι τὴν βασιλείαν ἐκτήσατο.

Telemachi deinde vestigiis incedunt duo posteri, tali parente dignissumi, qui iam proxume ad ipsum Theronem nos deducunt. Eorum nunc una cum Telemachi nomina ita adscribimus, ut eadem opera numeri illi aetatum adiciantur, qui in Theroniani stemmatis laterculo eis viris conveniunt: 25 Telemachus II, 26 Emmenides, 27 Aenesidamus, Theronis pater. Est sane fama quaedam ab antiquis quibusdam testibus propagata, qua Telemachum non continuo Emmenides exceperit, sed medius inter eos insertus fuerit Chalciopeus quidam; Schol. Pind. Ol. II, 82 p. 72 init.: Τηλέμαχος . . . κρατεῖ τῶν τόπων· ἐξ οὗ Χαλκιοπεύς, οὗ Ἐμμενίδης, οὗ Αἰνησίδαμος, οὗ Θήρων. Sed Chalciopei nomen in hunc coetum non recte arcessitum esse, — id quod iam Bentleyus in Phalarideis (conf. versionem Germanicam Woldemari Ribbecki mei p. 101 sq.) suspicatus est, cum alterum utrum tantum, aut Emmenidem aut Chalciopeum, admitti posse dicit, — nunc prorsus manifesto evincitur pulchra quadam O. Muelleri, Orch.[2] p. 322 extr. observatione. Is duo haec nomina Telemachi et Emmenidae in "loquentium", quae dicuntur, nominum numero esse intellexit, quae ad fata et mores hominum, quorum sint, exprimenda, ficta sint: Telemachum igitur eum esse, qui e longinquis longinqua petierit, quod in Theronis certe stemmate et in priorem et in posteriorem Telemachum cadit; Emmenidem vero eum, qui cum Penatibus in nova patria ad manendum consederit. Sequitur igitur, ut ante Theronem Agrigenti tres eius proavi numerati sint, id est tres aetates unum saeculum explentes. Id luculenter ipse Pindarus eo loco confirmat ubi urbem Agrigentum intra centum annos, id est quamdiu steterit omnino, praestantiorem civem nullum quam Theronem genuisse gloriatur; Ol. II, 102: τεκεῖν μή τιν' ἑκατόν γε ἐτέων πόλιν || φίλοις ἄνδρα μᾶλλον || εὐεργέταν πραπίσιν ἀφθονέστερόν τε χέρα || Θήρωνος.

20. Duorum in stemmate Telemachorum homonymia in caussa fuit, ut duodecim proavorum nomina interciderent. Locus in scholiis (ad Ol. II, 82 p. 72), in quo amborum Telemachorum memoria in unum conflata est, supplemento inter geminatum Telemachi nomen interposito sanatur.

Iam si eorum, quae supra disputavimus, summa quaedam colligenda sit, duabus potissumum rebus operam dedimus: primum e 27 aetatibus a Cadmo ad Theronem duodecim primas suis unamquamque heroum nominibus instruximus; deinde tres postremas, novissimum ante Theronem agmen, in clarissima luce collocatas vidimus. Supersunt igitur duodecim aetates vel quattuor saecula, quae Rhodia illa eius gentis commoratione absumuntur, cuius in universum memoria alto silentio premitur. Unum solum constat: hanc scientiae nostrae lacunam incidere inter duorum Telemachorum nomina, prioris, qui Rhodum concessit, et posterioris, qui cum Rhodo patria Agrigentum commutavit. Iam vero aut prorsus fallimur, aut haec ipsa nominum aequalitas in caussa fuit, ut omnia eius stemmatis nomina, quae in medio posita fuerant, interciderent. Facillume enim grammatici

vel librarii alicuius, harum rerum memoriam minus attente conscribentis, oculi a priore nomine ad posterius homonymum aberrare potuerunt. Locus est classicus in scholiis Pindaricis, quo de Theronis proavorum fatis satis copiose exponitur. Ibi in lectione tradita in codicibus unius tantummodo Telemachi mentio fit eique, quod longe perversissumum est, ambae illae expeditiones tribuuntur: prior e Thera in Rhodum, et posterior, quattuor saeculis a priore remota, ex Rhodo in Siciliam. Praeterea verba quaedem conclamata et desperata inesse creduntur, quibus nondum quisquam certam medicinam adhibuit. Traditur Schol. Pind. Ol. II, 82 p. 72 init. et med.: Κλύτιος ἔμεινεν ἐν Θήρᾳ τῇ νήσῳ, ὁ δὲ Τηλέμαχος κατῴκει ἐν χώρᾳ, ὅθεν συλλέξας δύναμιν ἔρχεται εἰς Σικελίαν. Boeckhius ad χώρ vocabulum adscribit: *Haec vox aperte corrupta est.*

Sed locus omni confusione et litterarum corruptelae suspicione liberatur, si statuamus, librarium in codice vetustiore describendo a prioris Telemachi ad posterioris nomen aberrasse omissis omnibus, quae interiecta erant de priore Telemacho eiusque posteris, denique de mirifica illa amborum ὁμωνυμίᾳ. Iam igitur ut et vitii origo demonstretur, et eorum, quae deperdita sunt, argumentum, quantum fieri possit, adumbretur, hunc in modum grammatici verba redintegrare ausi sumus: Σάμος . . . ἔσχεν υἱοὺς δύο, Τηλέμαχον καὶ Κλύτιον, ὧν ὁ μὲν Κλύτιος ἔμεινεν ἐν Θήρᾳ τῇ νήσῳ, ὁ δὲ [Τηλέμαχος μετέστη εἰς Ῥόδον, οὗπερ τῶν ἀπογόνων αὐτοῦ εὐτυχούντων ἔτι καὶ ὁ τρισκαιδέκατος, κληθεὶς καὶ αὐτὸς] Τηλέμαχος, κατῴκει ἐν χώρᾳ, ὅθεν συλλέξας δύναμιν ἔρχεται εἰς Σικελίαν καὶ κρατεῖ τῶν τόπων. Recte scriptum est ἐν χώρᾳ, quod usu loquendi sollemni est: "suo loco, loco sueto"; Xen. Oec. III, 3: τοῖς μὲν ὅπου ἔτυχεν ἕκαστον καταβέβληται, τοῖς δὲ ἐν χώρᾳ ἕκαστα τεταγμένα κεῖται. conf. Blomfield ad Aesch. Ag. 77. Imperfectum κατῴκει, quod ad priorem Telemachum, qui Rhodum advena ingreditur, nullo modo referri potest, optime in Telemachum alterum convenit, cui Rhodus primum domicilium fuit, antequam in peregrinas terras discederet.

21. Ex stemmatis Theroniani numero XXVII aetatum Cadmi epocham facile in annum, 1382 a. Chr. constitui posse. Eam num ipsi Delphici sacerdotes sanxerint, tam diu in incerto esse, dum aliarum anagrapharum consensus accesserit.

Prodiit igitur ex hac nostra quaestione numerus elegans et satis mundus atque rotundus: viginti septem aetates, iusta novem saecula aequantes; atque facile existumare licet, quantopere viro optumo Theroni hoc illustrissimorum proavorum agmen contemplanti cor in sinu riserit. Quamquam nobis nunc sane in hac quaestione aliud quid in his laterculis longe gravius et scitu dignius videatur. Nobis ea nunc mens est, ut, ecquidnam calculi illi lucri ad antiquae chronologiae incunabula illustranda adferant, circumspiciamus. Atque primo quidem adspectu lautissimas sane epulas promittunt. Quid enim iam impedit, quominus Cadmi, novem saeculis a Therone distantis, aetatem accuratius iam et certis

annorum numeris definire audeamus? Id sane sic simpliciter a Therone proficiscentibus nondum succedere potest. Sed Thero, quod supra demonstravimus, tribus aetatibus (Aenesidami, Emmenidae, Telemachi), vel, quod idem est, uno integro saeculo ab anno clarissimo epochae Delphicae, quo anno ludi Pythii primum coronarii facti sunt, Ol. 49, 3 = 582, distat. Eo igitur uno saeculo deducto, si iam ab anno epochae Delphicae 582 octo saeculis retro adscendamus, fieri profecto non poterit, quin Cadmi annus primus, qualis in sacerdotum Delphicorum laterculis constitutus esset, sua sponte se nobis offerat: annus 1382 a. Chr. n. Atqui Cadmi epocha inventa nequaquam iam arduum erit, plurimarum rerum reliquarum, quarum a Cadmo intervalla plerumque nota et volgata sunt, tempora facili computo concipere. Sed cavendum in hoc negotio maxume est, ne quae demonstranda demum sunt, pro iam demonstratis sumamus. Nam unum nunc est, quod in illo tam eleganti Theronis stemmate religiosissume quaeri oportet: utrum utro prius atque antiquius sit: num Cadmi epocha iam antiquitus certo fixa et stabilita viginti septem illas aetates pepererit; an contra post viginti septem aetates ab eruditis in Theronis aula adornatas Cadmi tempus, nullo aliarum anagrapharum respectu habito, sic simpliciter accesserit. Ad hanc quaestionem diiudicandam haec unica via patet, ut num in aliis quoque heroum genealogiis eundem Cadmus locum constanter obtineat, eruere temptemus Ac sunt sane nonnullarum anagrapharum vestigia ad nos perlata, quae luculentam cum illis Theronis calculis similitudinem ostendunt. Quamquam in eis unum praemonendum est. Non Cadmi profecto aetas illa fuit, quam omnium primam chronologiae magistri ut certum fixumque in rerum Graecarum memoria cardinem constituerint; eam tali honore non dignati sunt; immo alia duo sunt facta longe clariora et celebratiora, quibus veteres illi temporum gubernatores hunc principatum tribuerunt: Argonautarum expeditio et bellum Septem ducum contra Thebas.

22. In rerum mythicarum memoria omnium primis duobus factis chronographos Delphicos tempora fixa et certa attribuisse: Argonautarum expeditioni et bello Septem ducum contra Thebas.

Haec duo facta tanquam duo inconcussa in medio temporum flumine saxa ferreis quasi vinculis et clavis devinxerunt. Atque aliud praeterea artificium accessit. Non diversam eorum factorum aetatem, sed paene unam eandemque esse voluerunt, ut pauci tantummodo anni inter ea interiecti essent. Ex ea vero Argonautarum expeditionis et belli Septem ducum temporum aequalitate notabile est mirificum quendam in nonnullis heroum genealogiis consensum et concentum natum esse. Quo in genere nunc ad nostram rem maxume facit, quod Herculis et Polynicis posteri prorsus συμμέτρως alteri iuxta alteros per complures aetates incedunt. Nam quemadmodum Polynices cum bello Septem ducum, ita Hercules cum Argonauticis coniunctissimus est. Herculem enim eius expe-

ditionis socium fuisse carminibus vetustissimis traditum erat, idque in Delphicis quoque chronicis expressum fuisse, Pindari testimonio luculenter comprobatur, qui de heroibus ad Iasonem Iolcum confluentibus haec dicit Pyth. IV, 171: τάχα δὲ Κρονίδαο Ζηνὸς υἱοὶ τρεῖς ἀκαμαντομάχαι || ἦλθον Ἀλκμήνας θ' ἑλικοβλεφάρου Λήδας τε. Hinc pulcherrima illa clarissimarum domuum congruentia nata est: 1 Hercules, 2 Hyllus, 3 Cleodaeus, 4 Aristomachus, 5 Aristodemus, Proclis et Eurysthenis pater; deinde in Labdacidarum domo prorsus convenienter: 1 Polynices, 2 Thersander, 3 Tisamenus, 4 Autesion, 5 Theras, Proclis et Eurysthenis pupillorum tutor. Haec tam illustrium stirpium, plurimis fabulis celebratarum, symmetria inter fundamenta profecto et principia chronologiae Delphicae fuit. Quae si reputemus aliquantum iam lucri nos fecisse confitendum erit. Nam ea Heraclidarum et Polynicis posterorum congruentia nonne ita uti licebit, ut quae de alterius utrius partis chronologia certa et explorata sint, ea confestim ad alteram quoque transferre possimus?

23. Argonautarum et Herculis in canone Delphico tempora egregie illustrat praestantissumus Pindari locus Pyth. IV, 10 de *septendecim* aetatum intervallo inter Euphemum Argonautam et Battum Cyrenarum conditorem.

De Herculis vero et Heraclidarum temporibus eximia Fortunae benegnitate ita prospectum est, ut quid de eis in Delphico tabulario consignatum fuerit, optimo et luculentissimo teste nobis innotuerit. Extat enim locus praestantissimus atque his studiis fructuosissumus apud Pindarum, unde Argonautarum et Herculis temporibus definiendis mira lux affulget. Narrat poeta in carmine Pythio IV de Medeae vaticinio, quod illa Argonautis ediderit, cum gleba fatalis, qua sors futuri in Libya et Cyrenis regni portendebatur, pessimo omine e navi excidisset. Hoc enim pignus cum Argo navis ex Libya discedens ancoras tolleret, Eurypylus, heros ibi domesticus, Euphemo, Neptuni filio, uni ex Argonautis, de manu in manum tradiderat, Pind. Pyth. IV, 37: χειρί οἱ χεῖρ' ἀντερείσαις δέξατο βώλακα δαιμονίαν. Sed, triste dictu, munus praeclarum neglegentia ministrorum, cum navis Theram insulam praeterveheretur, ventorum turbine subito exorto e navi in mare decussum erat; Pind. Pyth. IV, 40: ἦ μάν νιν ὤτρυνον θαμὰ || λυσιπόνοις θεραπόντεσσιν φυλάξαι· τῶν δ' ἐλάθοντο φρένες· || καί νυν ἐν τᾷδ' ἄφθιτον νάσῳ κέχυται Λιβύας || εὐρυχόρου σπέρμα πρὶν ὥρας. Quae iactura cum omnes horrore percussisset, Medea vaticinata est: Tristia haec sane esse, sed nondum desperata; illud, quod initio in fatis fuerit, quarta ab Euphemo progenies ut Libyam occuparet, fieri iam non posse; sed ita deis immortalibus placitum esse, ut decima septima ab Euphemo aetas prisci illius pignoris tandem fructum serum quidem, sed beatissimum caperet; Pind. Pyth. IV, 6: χρῆσεν οἰκιστῆρα Βάττον καρποφόρου Λιβύας ἱερὰν || νᾶσον ὡς ἤδη λιπὼν κτίσσειεν εὐάρματον || πόλιν ἐν ἀργινόεντι μαστῷ, || καὶ τὸ Μηδείας ἔπος ἀγκομίσαι || ἑβδόμᾳ σὺν καὶ δεκάτᾳ γενεᾷ Θήραιον, || Αἰήτα τό

ποτε ζαμενὴς || παῖς ἀπέπνευσ' ἀθανάτου στόματος. Pindarus igitur ab Cyrenis a Batto οἰκιστῇ conditis ad Euphemum, Batti atavom, et Argonautarum expeditionem aetates *septendecim* computat.

24. Argonautarum expeditionis epocham qui e Delphicae chronologiae rationibus aetates numerando computare velit, ei non a Cyrenarum coloniae anno natali, sed ab aerae Delphicae anno principali 582 proficiscendum esse.

De Cyrenarum a Batto, Polymnasti filio, conditarum epocha nunc post egregiam Arnoldi Schaefer disputationem in Museo Rhen. vol. 20 (1865) p. 294 plane constare videtur; annus est 623 a. Chr. Dicit enim Solinus 27, 44 p. 146 ed. Mommsen: Cyrenas anno 586 post Troiam captam conditas esse, adicitque verba aureola: *Quae domus Callimacho poetae fuit patria.* Inde rectissume Schaefer collegit, ipsius Callimachi illum computum esse. Is enim cum Atticis, velut cum auctore marmoris Parii, Epocha 24, Troiae excidium ad annum 1209 a. Chr. rettulerat; conf. Brandis, de Temporum Graec. vetust. rat. p. 13. Ab hoc anno 1209 si demas annos 586, annus conditae Cyrenarum coloniae efficitur 623 a. Chr. Iam vero reminiscendum est, Pindarum a Batto οἰκιστῇ ad Euphemum Argonautam XVII aetates numerasse, quae annis 567 respondent. Hunc igitur annorum numerum si ad annum natalem Cyrenarum adiciamus, Argonautarum expeditionis epocham e Pindari quidem calculis propemodum concipere licebit in annum 1190 a Chr. Sed unum est, quod scrupulum de hoc anno moveat. Initia aetatum, quarum computatione Delphici sacerdotes tempora ordinarunt, sine dubio certa et fixa fuerunt. Itaque primo aliquo initio opus erat, unde semper in numerando exiretur et a quo omnia intervalla computarentur. Tali vero tamque conspicuae omnium, ut ita dicam, epocharum epochae constituendae non hercle apta erat res, quae licet memorabilis esset, tamen unius tantum Graecorum populi fata spectaret; immo factum aliquod requirebatur, quod omnium Graecorum mentes oculosque in se converteret, quo non humanarum tantum, sed divinarum etiam rerum novus ordo inauguratus videretur. Accedit, ut Delphicos temporum gubernatores tale potissumum factum elegisse credibile sit, quod in Amphictyonum annalibus et in Apollinis religione pro aliquo rerum cardine habitum sit, unde magna maxumeque salutaris rerum publicarum et privatarum conversio exorta esset. His omnibus consideratis et perpensis, quae animos vetustissimorum illorum chronologiae quasi parentum post belli Crisaei turbas sedatas commovere et huc illuc iactare debuerunt, quid quaeso unquam verisimilius et probabilius videri potest, quam ad hunc talem tamque illustrem terminum constituendum electum esse illum annum, quo ludi Pythii coronarii facti sunt, annum Ol. 49, 3 = 582.

25. Ab anno epochae Delphicae 582 a. Chr. facta quaeque clarissima ad Pindari normam computantibus numeri elegantes et rotundi se offerunt; Argonautica *sex* saeculis distant, Cadmus *octo*.

Hunc igitur annum 582 a. Chr. sacerdotes Delphici tanquam aliquod miliarium aureum constituerunt, a quo rerum gestarum clarissimarum intervalla aetatibus numerandis metirentur. Atque id vere a nobis ita contendi, haec quoque res fidem facere potest, quod numeri semper mirum quantum elegantes et rotundi efficiuntur, si ab illo initio profecti antiquissimorum historiae mythicae factorum tempora computemus. Quod facile exemplis comprobatur. Pindarus Pyth. IV, 10 septendecim aetates a Batto τῷ οἰκιστῇ ad Euphemum Argonautam, — ipso Euphemo, id quod semper recordari oportet, secluso —, praeterlapsas testatur. Eis si unam aetatem, quae inter Cyrenas anno 623 conditas et annum principem aerae Delphicae 582 interiecta est, adiciamus, Euphemus ab hoc miliario aureo duodeviginti aetatibus remotus erit, quibus sex munda rotundaque saecula respondent, ut hoc iam satis nunc confidenter pronuntiare liceat: Argonautarum expeditionem, deinde Herculis res et vitam, denique bellum Septem ducum adversus Thebas, haec omnia, quae altera alteris aequalia sunt, Delphicos illos temporum gubernatores in aetatem ab epochae Delphicae anno sollemni 582 undevicesimam rettulisse, quae aetas spatium triginta trium annorum ab a. 1183 ad 1216 explet. Ex his principiis, quid de Cadmo sequatur, manifesto iam apparet. Is a Polynice sextus est, id est duobus integris saeculis remotus; primus igitur Cadmi annus erit 1383 a. Chr., quem annum paullo supra in stemmate Theroniano huic atavorum atavo assignatum invenimus.

26. Septendecim Batti proavorum, de quibus Pindarus Pyth. IV, 10 testatur, tempora quidem egregie definiri posse, nomina tantum non omnia tenebris sepulta iacere.

His ita stabilitis dubitare iam non licet, quin Theronis proavorum laterculi haud minus, quam Euphemidarum stemma Delphicae officinae artem et diligentiam spirent. Sed unum etiamnunc officium nostrum restat. Quaeritur, num Batti quoque Cyrenarum conditoris inde ab Euphemo Argonauta proavos septendecim nominibus suis salutare atque compellare nobis liceat, quemadmodum in Theronis maioribus maxuma saltem ex parte fieri potuit. Verum res non boni ominis est. Statim iam in limine confitendum est: in Euphemidarum stemmate instaurando Fortunae rotam longe se nobis iniquiorem et magis invidam praebuisse, quam in Labdacidis. Ex sedecim ante Battum, Polymnasti filium (Pind. Pyth. IV, 59), heroibus praeter ipsum Polymnastum duo tantum nomine tenus nobis innotuerunt: Euphemi ex Malacha sive Lamacha Lemnia filius: *Leucophanes*; deinde huius Leucophanis pronepos *Samus* sive *Sesamus*; de ambobus optime disseruit O. Mueller

Orch.[2] p. 301 et 459. In fatis erat, ut eius gentis, quae Cyrenas postea conditura esset, auctor ex Argonautarum cum Lemniis mulieribus nuptiis prodiret; Pind. Pyth. IV, 251: ἔν τ' Ὠκεανοῦ πελάγεσσι μίγεν πόντῳ τ' ἐρυθρῷ || Λαμνιᾶν τ' ἔθνει γυναικῶν ἀνδροφόνων· || ἔνθα καὶ γυίων ἀέθλοις ἐπεδείξαντο ἶν' ἐσθᾶτος ἀμφίς, || καὶ συνεύνασθεν. Euphemo Malacha obtigerat; Schol. Pind. Pyth. IV, 455 p. 371: οἱ γὰρ Ἀργοναῦται ἐν τῇ Λήμνῳ ταῖς Λημνιάσιν ἐπλησίασαν, ἐν οἷς καὶ Εὔφημος Μαλάχῃ συνελθὼν Λευκοφάνη ἐποίησεν. Lamacham eandem vocat Tzetza ad Lycophr. 886, vol. II p. 859 ed. Mueller. Sesamus, Leucophanis pronepos, in eorum agmine fuit, qui cum Thera rege Lacedaemone relicta in Theram insulam traiecerunt ibique Penates constituerunt; Schol. Pind. Pyth. IV, 88 p. 350: Θήρας ὁ Αὐτεσίωνος... εἰς τὴν Θήραν ἐκτοπίζει· συνῆν δὲ αὐτῷ καὶ Σάμος, οὗ ἀπόγονος Βάττος, et Schol. Apollon. Rhod. IV, 1750: Εὔφημος] εἷς δέ τις αὐτοῦ τῶν ἀπογόνων Σήσαμος ᾤκισεν Θήραν, οὗ ἀπόγονος γέγονεν Ἀριστοτέλης (i. e. Βάττος, cf. Pind. Pyth. V, 87). conf. Schol. Pind. Pyth. IV, 455 p. 372, lin. 7. Hunc Samum sive Sesamum rex Theras magni aestimasse videtur, siquidem filium suum in Thera susceptum (Herod. IV, 149) in amici honorem eodem, Sami, nomine nuncupavit. Samum enim Therae filium, Telemachi patrem, iam supra (p. XX) in Theronis proavorum serie invenimus.

27. Spartanorum regum apud Herodotum VII, 204 laterculum cum Pindari calculis accuratissime congruere.

Cum hoc Delphicorum sacerdotum canone, quo Herculis res te vitam in XIX aetatem ante annum aerae Delphicae 582 rettulerunt, egregie congruit regum Lacedaemoniorum (Agiadarum) ab Hercule ad Leonidam laterculus, quem cum alii servarunt, tum optime Herodotus VII, 204, modo nominibus illis apud Herodotum viginti et uni inseras unum nomen in media fere serie inter Hegesilaum et Archelaum: nomen *Menelai*, ut viginti duo fiant. Id nomen laterculo addendum esse, fretus testimonio Epitomatoris Barbari in Eusebio ed. Schoene vol. I Append. p. 218 sub 42[b] lin. 8 acutissime et egregie demonstravit Io. Brandis, de Temp. Graec. ant. rat. p. 30. Hoc supplemento recepto Herculis in hoc quoque laterculo tempora ad aetatem, quae XIX est ante annum principem aerae Delphicae, reiciuntur. Is vero tot tam diversorum calculorum consensus pro mero Fortis alicuius Fortunae casu et lusu haberi iam nequit.

Bonnae typis Caroli Georgi univ. typogr.